



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 86. Caroli Pii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII. die vigesima quarta Junii rebellibus de-
 A. C. 1689. dere coactus est. Interim duodecima

Maij die Castri-Reginaldi Comes cum nova classe, copiis, aliisque suppetiis instructa portu solvit, atque in itinere Herberto Angliæ Archithalasso, qui viam ei præpedire tentaverat, conferto prælio septem naves eripuit, Martius quoque Dux Scotis Jacobo adherentibus & Hibernis auctus, die sexta Augusti Anglos insigni clade fudit: desiderato tamen Dondeo Comite, qui Regionum Ductor belli peritia, & fide in Regem suum nemini secundus erat, infausto prorsus Marte Regii in Hibernia dimicabant; Londondria enim Anglis dedita insuper in rebellium partes secessere Cariofergusium, Unterfordium, omnesque ferme Hiberniæ Urbes, quibus nova auxilia ex Anglia sub Schombergio Duce accesserant, unde Protestantes magno numero a Jacobi signis defecere, & Catholici soluto exercitu sese in tuta aliquot loca recipere compulsi sunt.

§. LXXXVI.

Caroli Pii Cardinalis obitus.

Old. in add. ad Ciacon. Prævenerat Innocentii Papæ obitum Carolus Pius Cardinalis, qui patria Ferrariensis humaniores literas pater-
 nis

nis in ædibus didicit, ac Clericali mi- Sæc. XVII.
 litæ adscriptus, Romam ad Cardina- A. C. 1689.
 lem Pium Patrum suum concessit, ubi
 omni scientiarum sacratorum genere
 egregie instructus, ingenium suum om-
 nigena eruditione, antiquitatum noti-
 tia, & linguarum peritia excolere
 statuit, eapropter Galliam, Angliam,
 Belgium, Germaniam & Poloniam e-
 rudita curiositate peragravit. Romam
 redux, cum Martialem præferret ani-
 mum, ab Urbano VIII. Tribunus legio-
 nis constitutus est, atque adversus Eccle-
 siæ hostes fortiter pugnavit, in prælio
 tamen apud Moncessinum captus, non-
 nisi pace confecta libertati redditus est,
 qua obtenta Sacerdotio initiatus, Ro-
 mæ ab Innocentio X. Cameræ Aposto-
 licæ Clericus, Ecclesiæ Romanæ the-
 saurarius, ac demum Cardinalis renun-
 tiabatur, cujus promotio Romanis &
 Ferrariensibus adeo grata exstitit, ut
 in amoris pignus Ferrariensis Senatus
 eidem munus mille aureorum exhiberet,
 quod tamen donum Carolus in paupe-
 res concives distribuendum remisit.
 Postea ab eodem Pontifice Legatus
 Apostolicus Urbini Ducatum, atque
 Episcopus Ferrariensem Ecclesiam sum-
 ma cum laude & animarum profectu
 aliquot annis moderabatur, dimisso
 autem hoc Episcopatu Romam rever-
 sus,

Sæc. XVII. A. C. 1689. sus, S. R. Imperii Protector declaratus est, ob morum gravitatem, comitatem, Justitiam, eruditionem, constantiam. veritatis amorem, aliasque præclaras animi corporisque dotes ab omnibus maximi habitus. Tandem vero Romæ die decima tertia Februarii rebus humanis valedixit, anno ætatis suæ sexagesimo septimo.

§. LXXXVII.

Decii Azzolini Cardinalis extrema.

*Morc. Hist.
Priorat. vit.
della Reg.
Christ.*

Hunc pari mortis necessitate sequebatur Decius Azzolinus patria Firmanus, qui ab ineunte ætate tam humanioribus, quam severioribus scientiis apprime excultus, ex patria sua Laureatus Romam contendit, ubi sub Jacobi Panziroli disciplina ad gravissima negotia dextere expedienda eruditus, eidem in Legationis Hispanæ socium atque Administrum ab Urbano VIII. datus est, ob excelsi ingenii præstantiam, candidos mores, probatamque in omnibus fidem, tam præclaram nominis famam adeptus, ut ab Innocentio X. gravissimis negotiis, & arcanis Principum literis exarandis, necnon arduis Sedis Romanæ causis pertractandis adhiberetur: postea variis, iisque per honorificis æque ac onerosis officiis honora-